Rudzki Joannis. Quaestio de officio et potestate judicis delegati.

2702 Preuss.

D. O. M.

QVÆSTIO
De officio & potestate Iudicis Delegati,

QVAM

M. IOANNES RVDZKI,

Phil: Doct: & Professor, Protonotarius Apost: Plocensis Cathedralis, & SS. Omń. Collegiatæ Cracouień: Canonicus, Collega Minor, Contubernij Iuristarum Senior, Parochus Smarzouień &c. S.R.M. Secretarius.

PRO

Collegio DD. Iureconsultorum obtinendo, *publicè ad disputandum proponet.*

In Lectorio DD. Iureconsultorum.

Anno Dñi. 1678. Mense Maio Die *14.* Horâ *8.*

CRCOVIÆ, Ex Officina SCHEDELIANA, S. R. M. Typ:

Iudex dictus est, quia ius dictat populo, siue quod iure disceptet: iure autem disceptare, est iuste iudicare: non est autem Iudex, si non est in eo iustitia. can. Iustum 23. 9. 2. Concordat cap. Forus. §. in omni. De verbor: signif. ext.

QVÆSTIO
Ad cap: Præterea.
De officio & Poteſtate Iudicis Delegati ext.
Iuncta L. Vnica
ff. *Si quis ius dicenti non obtemperauerit.*

VTrum Iudex Delegatus, ſimpliciter ad causam terminandam, & quod iuſtum fuerit exequendum datus, partes in iudicium citare; & ſi non paruerint, tanquam contumaces punire; & reliqua omnia, quæ ad cauſæ deciſionem, tam in præparatorijs, quàm in probatorijs, ſpectare de iure, ſolent, plenariè exercere poſsit, nec ne?

CON-

CONCLVSIO I.

IVdex Delegatus simpliciter ad causam terminādam, & quod iustum fuerit exequendum datus, partes iuris experiundi causâ, ad suum iudicium citare potest.

COROLLARIA

I.

OMnino, vt valeat sententia, debent esse præsentes vel legitimè citati, omnes illi, quos negotium tangit; alias si aliqui sint præsentes, aliqui non, nec citati, non valet, quod actum est, nisi quoad præsentes, vel citatos.

II.

CItatio in quouis subsellio, ita est de substantia iudicij, quod ex defectu citationis, processus sit ipso iure nullus: nec Princeps ipse, qui supra leges est, defectum citationis supplere potest.

III.

QVando Iudex Delegatus non habet certam formam iniudicando sibi præscriptam, tunc iuris Communis dispositionem sequi debet, alioquin si secus faciat, non meretur dici Iudex.

IV.

NEmo Iudicium, tam Ecclesiasticorum quàm secularium, æquè Ordinariorum, quàm Delegatorum, suo sensu in iudicijs

& actio-

& actionibus; sed prout Canonum ac legum statutis, aut rescripto speciali, vel moribus proditum est, regi debet,

V.

DElegatus Apostolicus, si de alijs pronuntiauit, quàm quod ad eam causam pertineret, etiamsi citatione præuiâ, nihil egit; vt & Arbiter, qui iudicauit vltra comprehensa in Compromisso.

CONCLVSIO II.

IVdex Delegatus simpliciter ad causam terminandam, aut quod iustum est decernendum datus, potest citatos legitimè, si non paruerint, in veniendo, aut respondendo, tanquam contumaces punire.

COROLLARIA.

I.

NEmo ex suo dolo & contumacia, reportare debet commodum, tam in Iudicio, quàm extra.

II.

NOn excedit fines mandati Delegatus simpliciter, quando seueritate Ecclesiastica, aut etiam mulctâ, coercet mandato alioquin peremptorio obtemperare nolentem; nisi fortè fuerit legitimè recusatus, & vt suspectus, ex iuris præscripto allegatus, aut ab eo legitimè appellatum.

III.

AC ideo ob contumaciam excommunicatus, non est absoluendus ab excõmunicatione, aut audiendus, nisi refusis expensis contumacialibus Actori, & cautione præstitâ, de parendo mandatis Ecclesiæ.

IV.

MEritò sanè, contumax habetur in iudicio pro præsenti in suum præiudicium; imò verò pro confeßo, dum non respondet Articulis, vel non vult iurare de calumnia, sin ad actus istos speciatim fuit citatus, perditq; beneficium appellationis.

V.

SEd & Actor contumax, potest citato venienti ad terminum, in expensis propter hoc factis condemnari, nec debet admitti ad cæptam litem prosequendam, priusquam cautionem fecerit, de persistendo in iudicio, potestq; reo instante definitiua ferri sententia, lite alioquin non contestatâ.

CONCLVSIO III.

IVdex Delegatus per simplicem commissionem datus, omnia, quæ ad causæ decisionem, tam in præparatorijs, quàm in probatorijs spectare de iure solent, plenariè exercere potest.

COROLLARIA.

I.

DElegatus simpliciter, potest virtute Delegationis, deligere sibi cursorem, cum citationibus, & si faciat falsam relationẽ,

eum-

eundem punire, tum & alios Officiales accersere, & testes, si se subtrahant malitiosè à testificando, nec non eos, qui instrumenta extradere nolunt, compellere pœnis.

II.

D*Elegatus simpliciter potest committere totam causam, ne dũ cognitionem, aut testium, & attestationum disquisitionem, quando eum abesse contigerit, demandare, & punire non acceptantis contemptionem: tum coercere se superiorem, adhibito tamen temperamento dignitatis personarum.*

III.

D*Elegatus per simplicem Commissionem, in causa sibi commissa, habet iurisdictionem super Ordinarium, & quemcunq; maiorem.*

IV.

O*Rdinarius tenetur exequi sententiam Delegati, etiamsi sciuerit esse iniustam, prӕterquam; si impetrauit, se absolui, ab hoc onere.*

V.

D*Elegatus simpliciter, potest exercere suam iurisdictionem, inuocato etiamsi opus fuerit brachio seculari, quin & cognoscere, ne dum inter partes; sed etiam inter tertios comparentes, pro suo interesse ad causam, potestq; tertius comparere, appellare à Delegato taliter, sin iuri suo detrahatur per illum.*

D. O. M. B. M. V. D. P.



Sub Felicibus Auſpicijs,

Magnifici, Perilluſtris, & Adm: Rńdi Dńi,

D. M. ANDREÆ KVCHARSKI,

S. Theol: Doct. & Profeſſoris, Cathed. Canonici Cracouień: Præpoſiti SS. Omnium, & Proſouień: Curati, Procancellarij Almæ Vniuerſitatis Collegij Vladislauiani Prouiſoris, Studij Vniuerſitatis Cracouień.

GENERALIS RECTORIS
Vigilantiſsimi.